



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 25. Scriptores e Societate Jesu hoc anno defuncti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. A. C. 1613. riis assiduus, præprimis instante Cle-
 mente VIII. duplici libro veritatem stig-
 matum S. Catharinæ Senensis propu-
 gnabat: scripsit quoque perutilem Con-
 fessariorum institutionem, ac plurimo-
 rum Sanctorum vitas, præcipue B.
 Franci Senensis Carmelitæ, B. Neræ
 Tolomæi, Aldobrandinæ Ponziaë, Joan-
 nis Baptistæ Tolomæi, Beati Sororii
 Senensis, Genovesæ, Joannis Piccolo-
 mini, S. Martialis, Petri de Palermo,
 & plurium aliorum. Magnum etiam
 sibi nomen historicis ac Theologicis suis
 lucubrationibus comparavit Seraphinus
 Razzi patria Florentinus, qui in omni
 scientiarum genere præstans exegetica,
 parænetica, historica, Theologica, Ca-
 nonica, dogmatica & Philosophica con-
 scripsit opera, & quidem tanto nume-
 ro, ut nullum in octogenaria vita sua
 temporis momentum a scriptione va-
 cuum reliquisse videatur: prolixum om-
 nium operum indicem exhibet Biblio-
 theca Ordinis. Variis insuper lucubra-
 tionibus ibidem commendantur Tho-
 mas de Monacho, Petrus Guasch, Lu-
 dovicus Hamel & alii.

§. XXV.

*Scriptores e Societate Jesu hoc anno
 defuncti.*

Scri-

Scriptorum numero inclyta Societas Sæc. XVII.
 secuturi temporis fata prævenisse, A. C. 1613.
 atque anticipatione provida futuro de-
 fectui prospexisse videtur. Inter plu- Alegambe
 res, qui hoc anno obierunt, inclaruit Bibl. Script.
 Bernardinus Rosignolius, qui pietate, S. J.
 ac eruditione clarus Taurini die quinta Miræus l. c.
 Julii decessit, cujus corpus quinquen-
 nio ab ejus obitu integrum est reper-
 tum. Scripsit de *actionibus virtutis*, de
disciplina Christianæ perfectionis, & sub
 alieno nomine, *stimulum virtutum*, & *Hi-*
storiam Thebæam. Polemicis lucubra-
 tionibus celebratur Stanislaus Grodi-
 cius natione Polonus, qui septuagena-
 rio major Posnaniæ defunctus posteris
 reliquit *Conciones de Purgatorio & Eu-*
charistia sub utraque specie, necnon *Regu-*
las fidei hæreticorum, *trutinam contra Mi-*
nistrum Calvinianum, & *Dialogum*, quo
 demonstrabat, *hæreticos non esse Evan-*
gelicos. Scripsit etiam de *emendatione*
Calendarii Gregoriani. Tertius est Joan-
 nes David natione Belga, qui sexaginta
 septem annos natus die nona Augusti
 Antverpiæ supremum clausit diem.
 Edidit librum contra friyolum: *Put-*
bam, quod radix, stirps, & germen
 est malorum, item *Extinctorium famosæ*
facis Hollandicæ, *Sordidas duas hæretico-*
rum Sponsas, seu *Historiam Ecclesiæ Hæ-*
reticæ, *Respiraculum pro bulliente Musto*

Sæc. XVII. *Novatorum, Alvearium adversus Philip-
A. C. 1613. pum Aldegundum, Hæreticum Araneum*
præter plura alia tam Dogmatica, quam
Ascetica opuscula, quorum indicem
contexuit P. Alegambe. Ceterum pro
more illius ævi majorem, quam par
erat, in controversiis acerbitatem præ-
ferebat. Denique die decima sexta
Junii vitam cum morte commutabat
Hispani Ludovicus ab Alcasar, qui vi-
ginti annorum opus edidit, sub titulo,
*Vestigatio arcani sensus in Apocalypsi, præ-
ter eas veteris Testamenti partes, quas re-
spicit Apocalypsis: Exstat quoque Lug-
dunensibus literis excusum ipsius opu-
sculum de Ponderibus & mensuris.*

§. XXVI.

Stephani Gerlachii fata.

*Adam.
Theol. Germ.
Weissm. hist.
Eccl.
Niceron.
mem. des
hom. illustr.
tom. 26.*

Ex Lutheranae sectæ Theologis, quos
Literatorum commercio mors hoc
anno subduxerat, primus occurrit Ste-
phanus Gerlachius Knittlinga-Wirtem-
bergicus, qui emenso studiorum curri-
culo prima Doctoratus laurea decora-
tus, Eslingæ Magister creabatur, postea
Baroni Ungnadio Maximilianii. Cæ-
saris ad aulam Ottomanicam Legato
Præco, & Theologus adjungebatur,
ubi eum Joannes Ferberus olim Lu-
theranus civis ac Pistor, qui ad Maho-
metem